



Handwritten text, possibly a signature or date, in cursive script.



117

V I R O  
PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO  
M. HENRICO JULIO  
CHRISTIANO FRITZSCHIO,

HVCVSQVE CONRECTORI

DE

SCHOLA TORGAVIENSI

LONGE MERITISSIMO

AVSPICANTI

MVNVS CONRECTORATVS

IN

ILLVSTRI MOLDANO

OBEVNDVM

PIE

GRATVLANTVR ALVMNI

INTERPRETE

BENIAMIN GOTTHELFF BEVTLERO

SVPTICIO MISNICO.

---

MENSE IVNIO Ao. MDCCLXV.

---

GRIMMÆ

TYPIS IOANNIS HENRICI HERBST.



M. HENRICO JULIO  
CHRISTIANO FRITSCHIO  
MAGISTRO CONECTORI

**D**eflebamus adhuc rapidæ vi mortis ademptum  
Doctorem tristes, nec iusti mente dolores  
Exciderant memori, nec mœsto pectore curæ  
Sollicitæ: lugebat adhuc, quicumque docentem  
Discens audierat, flebat, quicumque disertus  
Illo privatum se nunc doctore videbat.

Quales stant miseri gnati, genitore benigno  
Privati subito fato, tristesque relictî,  
Lugent fortunam suspirantesque dolori  
Indulgent, patrem quærentes nocte, dieque:  
Sic nos stabamus tristes ob flebile fatum,  
Lugentes mortem erepti doctoris acerbam.

Ecce novas volitans fert nuntia fama per auras,  
(Non levis ille quidem sermo, nec rumor inanis)  
Lætities: cunctos, inquit, dimittite luctus,  
Solvite corde metum, læti secludite curas!  
Vestra etenim jussit Numen rata vota precantum,  
Annuit, & precibus, sincero pectore fufis.

En nova jam recreant moerentem gaudia mentem,  
Mentem confectam luctu, atque ex tempore longo  
Tristitiæ densis obductam nubibus atræ:

En oritur sidus lætum, fugiuntque tenebræ.  
FRITZSCHIVS, o nostri columen certum atque salubre  
Palladii, atque illustre decus, spes maxima Pindi!  
O nostris posthæc Musis venerabile nomen!  
FRITZSCHIVS est, recreat qui nos, & tristia mutat  
Lætis, quem nostrum veneramur pectore læto  
Doctorem, cujus præceptis vsque fruemur:  
FRITZSCHIVS est, nostris quem jam veneramur in oris.

O nos felices, o terque quaterque beatos!  
O huic Illustri Moldano tempora læta!  
Nunc est gaudendum, phoebea tempora lauro  
Nunc cingenda, animi læti testantia sensum.

Qualis, divitiæ cuius sunt messis & arbor,  
Exultat, læto præ se fert gaudia vultu,  
Gestit lætitia, mentemque ad sidera tollit,  
Quum segetes æstate nova, sperataque terræ  
Munera, sæcundos hortos, virentia prata,  
Et Cererem, quam non capiunt granaria magna,  
Cernit, mirantes oculos per singula volvens:  
Sic nos lætamur, nobis quod contigit uti  
TE doctore gravi, TE nos audire docentem.

Quid tandem possit nobis felicius esse,  
Quidve magis lætum, quidve exoptatius esse  
Hocce die? quo nostra TVO Parnassia læto  
Tanquam templa sonant adventu, & gaudia produunt.  
Aurea jam redeunt Moldano tempora nostro:  
Musæ latantur nostræ, lætantur Alumni:  
Lætitia domus ipsa adeo gestire videtur,  
Hi muri nostros conantur reddere plausus.

Tot fortunati jam TE doctore fuerunt:  
Tot, vos felices! jam TE audivere docentem:  
Tot mirabundi TE dilexere magistrum:  
Tot grati Patrem jam TE coluere benignum:

Nos & felices ducé, TE doctissime FRITZSCHI!  
TE doctore erimus felices! tempore semper  
Contingent nobis TE Praeceptore beata.  
Artibus ingenuis instructus, gloria summa  
Musarum, magno splendes virtutis honore:  
Conspicuum reddunt Pietas TE sancta Fidesque:  
Dulcia mella fluunt facundo ex ore docenti:  
Graciam & Hesperiam patriam incoluisse videris:  
Nullus nec melius veterum monumenta virorum  
Doctorum callet, prisca nec temporis acta,  
Factaque commemoranda ævi veterisque novique.  
Laudibus es dignus tot, quas si dicere coner,  
Et celebrare fatis, numero esset copia major.

Tantum per multos annos TVA gloria crescat  
Hoc in **Moldano**, florescat nomen, honorque.  
Fungaris celebris doctoris munere longum  
Per tempus: pulchra & doceas præcepta juventam:  
Amplere tuo & digneris semper amore  
Discipulos huius **Moldani**: denique semper  
• Sis fortunatus, sis felix, sisque beatus!



AB 180007


ULB Halle 3  
002 378 078



5b.

VD 77







107



V I R O  
 PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO  
 DOCTISSIMO  
**M. HENRICO IULIO**  
**CHRISTIANO FRITZSCHIO,**  
 HVCVSQVE CONRECTORI  
 DE  
 SCHOLA TORGAVIENSI  
 LONGE MERITISSIMO  
 AVSPICANTI  
**MVNVS CONRECTORATVS**  
 IN  
**ILLVSTRI MOLDANO**  
 OBEVNDVM  
 PIE  
 GRATVLANTVR ALVMNI  
 INTERPRETE  
**BENIAMIN GOTTHELF BEVTLERO**  
 SVPTICIO MISNICO.  


---

 MENSE IVNIO Ao. MDCCLXV.  


---

 GRIMMÆ  
 TYPIS IOANNIS HENRICI HERBST.

